

1535

22 gennaio

TRASCRIZIONE DELL'  
ATTO DI DONAZIONE  
DEI TERRENI DI  
POSTA  
AL  
BARONE CORNESIO

2000

**a cura di Roberto Mancini**

(dalla copia della trascrizione degli "Alligati"  
consegnata al Tribunale dell'Aquila nel 1899 e anni successivi  
conservata nell'Archivio Storico del comune di Posta)

22 Giugno 1535

Archivio di Stato in Napoli

— Sezione politica —

— Napoli li 13 Giugno 1899 —

Copia estratta dal fascicolo 1243 delle scritture farnesiane, e propriamente dal volume col titolo Posta e Vallemare, nel quale dal foglio 1 al 14 leggesi quanto segue:

Donatio facta per universitatem terrae Postae Domino Ferdinando Cornesio Barono. plurium rerum et signanter possessionum existentium in territorio Laculi Postae occupatarum per homines de Burbona.

In Dei nomine Amen. Anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo trigesimo quinto mensis Ianuarii die vero vigesima secunda mensis ejusdem octavae indictionis in Civitate Aquilae in locali de Paganica et in domo Melchioris q<sup>m</sup> Renzi de Mutio et in quadam camera dictae domus sita in capite aulae seu salae ejusdem domus juxta stratam publicam a tribus lateribus et alios fines. Regnante, divina favente clementia, Carolo Quinto Romanorum Imperatore semper augusto ac Ioanna Regina et eodem Carolo ejus filio regibus Castellae Aragonum ac utriusque Siciliae Hyerusalem et regnorum vero eorum hujus regni anno decimonono feliciter Amen.

Nos Ioannes Baptista Filaurus de civitate Aquilae regius ad contractus judex. Ioannes Chrisostomus Bernardini de Labareta publicus per utramque provinciam ultra et citra flumen Piscariae regia ac reginali auctoritatibus notarius, et infrascripti testes litterati ad haec habiti vocati specialiterque rogati videlicet Dominus Petrus Antonius de Raynaldis, Dominus Hyeronimus Accurtius, Ioannes Petrus Caprutia de Pizzolo, notarius Martius de Cava regiae audientiae actorum magister Bernardus alias Muscio de Balneo et Marrus Tubiren magnificae civitatis Aquilae praesenti scripto publico declaramus notum facimus atque testamur quod in nostri quorum supra iudicis notarii et testium praesentia personaliter constitutus Ferdinandus Fantacozzi de Aposta Syndicus et procurator universitatis populi et hominum dictae terrae Apostae de quorum mandato et procuratione constat ex publico documento inde fieri rogato manu mei Ioannis Chrysostomi notarii suprascripti anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo quinto mense Ianuarii die vero decima octava ejusdem mensis octavae indictionis in omnibus et per omnia tenoris et continentiae subsequenter.

In Dei nomine Amen. Anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo trigesimo quinto mense Ianuarii die vero decima octava mensis ejusdem octavae indictionis in terra Apostae et in palatio ipsius terrae et proprie juxta moenia ipsius terrae juxta stratam publicam et alios fines. Regnante, divina favente clementia, Carolo Imperatore Romanorum semper augusto et Ioanna Regina et eodem Carolo ejus filio regibus Castellae Aragonum ac utriusque Siciliae Hyerusalem regnorum vero eorum et hujus regni anno decimonono feliciter amen. Nos Ioannes Baptista Philaurus de civitate Aquilae regius ad contractus judex civitatis Aquilae ejusque districtus Ioannes Chrysostomus Berardini de Labareta de Aquila publicus per utramque aprutinam provinciam citra et ultra flumen Piscariae regia ac reginali auctoritatibus notarius et infrascripti testes litterati ad hoc habiti vocati et specialiter

rogati videlicet Ioannes Carolus de Bucciarellis de Aquila, Ioannes Petrus Caprutia, Andreas Facciolus de Gonnilla, et Ser. Iacobus Antonii de Monteleone praesenti scripto publico declaramus, notum facimus atque testamur quod in nostri quorum supra iudicis notarii et testium praesentia die et loco praetitulatis personaliter constitutus Prosper Fantacozzi tamquam ut dixit et se fecit camerarius terrae Apostae Ioannes de Fratoddo, Bernardinus Baldaxaris, Dominicus Baptistae, Natalutius Augustini tamquam ut dixerunt maxarii et maxaritio nomine dictae terrae de Aposta, Ioannes Gregorii, Ludovicus Gregorii, Gregorius de Fratoddo, Antonius de Fratoddo, Sebastianus Dominici, Petrus Paulus de Carnale, Ferdinandus Fantacozzi, Cherubinus Agnidei, Christophorus Mascio, Cola Colae, Micutius Paschalis, Ioannes Bartholomei, Ioannes Antonii Puccoli, Lactantius Alexandri, Salvator Fontarelli, Calabrensis Fontarelli, Ioannes Thutus Catalani, Ioannes Nardi, Valentinus Domitici, Antonius Vernetta, Ioannes Baptista Magistri Ioannis, Iacobus Rentii, Vincentius Rentii, Bartholomeus Mancini Simeonis, Franciscus Antonius Amici, Antonius Cesarini, Iulius Iustae, Ioannes Dominicus Miccantonii, Bernardinus Bartholomei, Sanctus Mariani, Bernardinus Castagnae, Antonius Baldaxaris, Fabritius Iuliani, Liberatus Marinacci, Prosper Traglioni, Marcus Antonius Pauli, Ioannes Dominicus Guadagnoli, Bernardinus de Francone, Bernardinus Fetius, Antonellus Lionardi, Bartholomeus Coglioni, Iacobus Antonius Coglioni, Cerbonus Valentini Schiavi, Liberatus Colestae, Hercules Bartoli, Iacobus Petricellae, Ioannes Christoforus Bellezza, Hyeronimus Paschalis, Paschalis Angeli, Nicolaus Paolutii, Ioannes Antonius Christophori, Ioannes Iordanus Fontarelli, Iacobus de Lafonte, Catherinus Antonii, Paulus Rosinae, Paulus Simeonis, Galantes Rosii, Iulius Thomasii, Sanctus et Sanctutius Francisci omnes de eadem terra Apostae maior et sanior pars ac duo et plusquam duo ex tribus ut dixerunt universitatis populi et hominum terrae de Aposta in unum populariter in loco praedicto congregati et coadunati more solito et consueto populum facientes et reputantes ipsorum nomine nullo discrepante sed pari voto ad haec omnia et singula peragenda et exequenda in praesenti instrumento contenta ad Statum gloriam et honorem et fidelitatem Catholicae et Caesareae Majestatis ac de licentia voluntate et mandato excellentis domini Ferdinandi Cornesii hispani utilis domini et baronis terrae praedictae sponte tamquam praedicti camerarius, massarii et homines supranominati et ex certa eorum scientia et eujusque ipsorum non per errorem aliquem et tam eorum propriis privatis et principalibus nominibus et aliis in eorum officiis successive futuris quibuscumque tam camerario et maxaritio nomine quam vice nomine et pro parte focolariorum omnium et singulorum et hominum dictae terrae Apostae absentium pro quibus et ipsorum quolibet supradicti omnes et ipsorum quolibet in solidum ut supra in forma juris valida de rato et ratihabitione promiserunt omnibus modo via jure causa et forma quibus magis melius aptis et efficacius de jure et consuetudine dici censi nominari et numcupari potest et debet, fecerunt constituerunt creaverunt et solemniter ordinaverunt eorum et dictae universitatis syndicum et procuratorem actorem factorem eorumque infrascriptorum negotiorum gestorem et certum et indubitatum nuncium generalem et specialem et quod generalitas specialitati non deroget nec e contra spectabilem Ferrantem Fantagutium de terra praedicta Apostae ibidem tunc praesentem et onus hujusmodi mandati syndicus et procurationis in se sponte recipientem specialiter et expresse ad ipsorum dominorum constituentium et eorum universitatis nomine et pro eis petendum exigendum consequendum recipiendum et recuperandum a quibuscumque hominibus et personis cujuscumque gradus et conditionis existant omnes et singulas pecuniarum aliarum quarumcumque rerum et bonorum summas et quanti-

tates dictae eorum universitati et populo debitas et debendas consistitulis et rationibus quibuscumque et ad faciendum pro bonis quae receperit et eidem restituta et tradita fuerint singulis persolventibus et restituentibus per publicum istrumentum seu per quamcumque aliam cautelam de jure valituram generalem finem refutationem absolutionem remissionem et pactum perpetuum de ulterius aliquid non dicendo petendo inquietando turbando seu molestando dictos persolventes restituentes nec non haeredes et successores cum obligatione bonorum omnium et singulorum dictae eorum universitatis mobilium stabilium praesentium et futurorum ad sensum et consilium sapientis. Item ad cassandum et cancellandum ac cassari ac cancellari faciendum omnes et singulas scripturas et cautelas tam publicas quam privatas omnibus et singulis debitoribus et aliis quibuscumque dictae universitati debentibus et solventibus causis titulis et rationibus quibuscumque. Item ad locandum et dislocandum omnia et singula bona dictae universitatis conductoribus partitariis arrendatoribus et conductoribus quibuscumque cum quibus conveniri poterit eosdemque conductores partitarios arrendatores quoscumque revocandum et removendum aliosque nominandum eligendum et vocandum toties quoties ei videbitur et expediens visum fuerit. Item ad vendendum alienandum et disthraendum bona dictae Universitatis pro currentiis ejusdem et totiens et quotiens ei videbitur et placebit emptori sive emptoribus quibuscumque emere volentibus et pro pretio seu pretiis quibus cum emptore seu emptoribus ipsis se convenire poterit et pretium recipiendum et habuisse confidendum et renuntiandum exceptioni non habiti et per calami traditionem investiendum ipsosque bonorum tenutam et temporalem possessionem dandum tradendum et concedendum et quoscumque emptores et procuratores tam in rem suam ponendum et constituendum et ipsorum defensionem in casu evictionis de pretii restitutione promittendum et corendum et huiusmodi venditionis et alienationis istrumentum conficiendum roborandum vallandum ac vallari et roborari faciendum cum omnibus et singulis pactis promissionibus obligationibus renuntiationibus poenis praeceptis et cautelis in talibus usitatis et ad sensum sapientis. Item ad transigendum componendum et conveniendum et paciscendum et transactionis compositionisque pacta faciendum cum quocumque et quibuscumque personis loco quocumque collegio societate et universitate cum quibus procuratori praedicto et substituendo ab eo placuerit et videbitur et instrumenta indefacienda vallanda roboranda ac vallari et roborari faciendum omnibus et singulis pactis promissionibus obligationibus renuntiationibus poenis praeceptis et cautelis in talibus usitatis et ad sensum sapientis. Item ad transigendum componendum et conveniendum et paciscendum et transactionis compositionisque pacta faciendum cum quocumque et quibuscumque personis loco quocumque collegio societate et Universitate cum quibus procuratori praedicto et substituendo ab eo placuerit et videbitur et instrumenta inde facienda vallanda roboranda ac vallari et roborari faciendum omnibus et singulis pactis promissionibus obligationibus renuntiationibus poenis praeceptis et cautelis in talibus apponi solitis debitis et consuetis. Item ad ipsorum dominorum constituentium et Universitatis nomine et pro eis coram Illustrissimo Domino Vice Rege Aprutino sive ejus regia aprutina Audientia et quocumque alio tribunali donandum tradendum cedendum et concedendum omnia et singula territoria *praeter pascua tamen* quae reperirentur occupata et detempta in territorio et pertinentiis eorum universitatis tam per Universitatem et homines de Burbono, Universitatem et homines de Monteregali, universitatem et homines terrae Leonessae, Universitates et homines<sup>1</sup> Villa

---

<sup>1</sup> *Nel testo da cui si trascrive è scritto: "homdues"*

Fani, Universitatem et homines Civitae regalis, per homines Villae Albaneti, per Abbatem S. Quirici et per quascumque alias Universitates et homines cujuscumque gradus status et conditionis existant occupantes et supra dicta bona detinentes et etiam quascumque alias possessiones particularium personarum occupatas per quosumque circa dicta confinia similiter donandum ut supra excellenti Domino Ferdinando Cornesio hispano utili domino et baroni dictae terrae Apostae cum expresso pacto vallando in stipulatione contractus dictae donationis quod ipse dominus Ferdinandus baro et donatarius supradicta bona ut supra donata et per eum recuperanda a detemptoribus et occupatoribus quibuscumque omnibus suis sumptibus laboribus et expensis nec per ipsum nec ejus heredes successores et descendentes ullo unquam tempore possint vendi alienari distrahi seu donari sed semper et omni futuro tempore dictus dominus baro et donatarius ejusque heredes et successores ut supra sint veri domini et patroni dictorum bonorum ut supra donatorum recuperandorum et consequendorum ejus sumptibus et expensis et etiam pacto vallando in stipulatione dicti contractus donationis intra dictum Syndicum ex una et Magnificum Ferdinandum parte ex altera sive ejus procuratorem quod casu quod dictus dominus Ferdinandus vel ejus heredes successores et descendentes ex quavis causa et occasione perderent vel privarentur baronagio et dominio terrae Apostae quod dicta bona ut supra donata per eum recuperanda ipso facto revertantur sint et esse debeant universitatis et hominum dictae terrae de Aposta absque eo quod per ipsam Universitatem et homines de Aposta debeant ei restitui sumptus et expensas ac pecuniae erogandae pro recuperatione bonorum praedictorum per ipsum dominum donatarium. Et ad omnes et singulas lites causas et questiones tam civiles quam criminales tam in agendo quam in defendendo motas et movendas active et passive coram quocumque iudice praetore et officiali tam ecclesiastico quam seculari dato seu dando delegato seu delegando causis titulis et rationibus quibuscumque libellum seu libellas et quamcumque aliam petitionem dandum et offerendum et recipiendum litem seu lites contestandum et contestari videndum de calumnia jurandum et de veritate dicendum cum omnibus et singulis capitulis et clausulis de calumnia jurandum et cujuslibet alterius generis juramentum prestandum et ex adverso prestari videndum ponendum articulandum excipiendum positionibus et articulis partis adversae respondendum ac responderi faciendum et contra eos dicendum renunciandum replicandum duplicandum triplicandum et quadruplicandum testes partis adversae iurare videndum et contra ipsos et eorum dicta dicendum et objiciendum crimina et defectus opponendum et reprobandum testes acta literas scriptiones instrumenta privilegia et quaecumque alia probationum genera producendum exhibendum et ex adverso produci et exhiberi videndum de loco et iudice seu iudicibus concordandum et conveniendum eos vel eum suspectos et suspectum recusandum et declarandum et suspicionis causas assignandum et allegandum et alios et iudices et notarios eligendum petendum et nominandum literas dimissorias et compulsorias, et alias quascumque impetrandum et obtinendum et impetratos ex adverso in quocumque foro seu iudicio ac alibi ubi expediens fuerit contradicendum impetrandum absolutionis beneficium simpliciter vel ad cautelam ac restitutionis in integrum petendum et obtinendum iudicis officium impetrandum implorandum et obtinendum in causa seu causis publicandum et concludendum ac publicari et concludi petendum et obtinendum sententiam seu sententias tam interlocutorias quam definitivas ferri petendum et audendum ab ea seu eis et a quolibet alio gravamine illato vel inferendo provocandum et appellan-

dum Apostolosque semel vel pluries debita cum instantia petendum et obtinendum appellationem et appellationes hujusmodi intimandum insinuandum et notificandum ac de nullitate dicendum ipsasque nullitatis causas allegandum et prosequendum. et ad quascumque Curias et Iudices ordinarios si opus fueris devolvendum et devolvi faciendum expensas damna. et interessa taxari petendum et exequendum et super ipsis si necesse fuerit jurandum et concordandum et compromittendum compromissum ipsum poena et juramento validandum arbitros quocumque et amicabiles compositores eligendum. Unumquoque sindicum et procuratorem vel plures loco ipsius cum simili aut limitata potestate substituendum et substitutos revocandum et eorum sindacatus et procurationis mandatum reassumendum toties quoties opus fuerit et ipsi seu eorum alteri videbitur expedire praesenti procurationis et dicatus mandatu in sui robore duraturo. Et generaliter omnia alia et singula faciendum dicendum gerendum et exercendum et procurandum in praemissis quae in praemissis et circa ea necessaria fuerint seu quomodolibet opportuna et quae ipsimet domini constituentes facerent et facere possent in praemissis omnibus et singulis praesentes et personaliter interessent etiamsi talia forent quae mandatum exigerent magis speciale quam praesentibus est expressum. Promittentes insuper praedicti domini constituentes ut supra praedicto Ferranti Sindico et substituendo vel substituendis ab eo et mihi notario praedicto uti publicae personae stipulanti et recipienti vice et nomine omnium et singulorum quorum interest intererit aut interesse poterit quomodolibet in futurum se ratum gratum ac firmum habituros totum et quidquid per dictum sindicum et procuratorem seu substitutum et substituendos ab eo seu eorum alterum actum factum gestumque fuerit vel procuratum in praemissis seu aliquo praemissorum. Rebeantes nihilominus ex nunc et relevare volentes eorum et dictae universitatis sindicum et procuratorem et substituendum vel substituendos ab eo et quemlibet ipsorum ab omni onere satis dandum ac iudicio sisti et iudicatum solvi cum omnibus clausulis necessariis et opportunis sub hypotheca et obligatione omnium bonorum dictae universitatis Apostae mobilium stabilium praesentium. et futurorum et qualibet alia juris et facti renuntiatione ad haec necessaria pariter et cautela et sub religione et per eos praestita ad sancta Dei evangelia juramentum manibus propriis earum corpolariter tactis scripturis praedicta omnia et singula attendere et inviolabiliter observare unde ad futuram memoriam hujusque rei certitudinem et cautelam dicti sindici et procuratoris et substituendorum ut supra ac omnium et singulorum quorum vel cuius interest et interesse poterit quomodolibet in futurum praesens publicum instrumentum exinde factum et publicatum est per manus mei Ioannis Chrysostomi notarii supra dicti nostrorum quorum supra iudicis notarii et testium subscriptorum signo et subscriptionibus roboratum Quod scripsi et publicavi ego qui supra Ioannes Chrysostomus notarius supradictus quia praemissis omnibus et singulis rogatus interfui ipsumque in hanc publicam formam redigens meo solito signo signavi.

Ego Ioannes Baptista Filaurus qui supra iudex me subscripsi. Ego Ioannes Carolus de Bucciarellis de Aquila qui supra testis me subscripsi. Ego Ioannes Petrus de Caprutia qui supra testis me subscripsi. Et in praesentia excellentis domini Colae Mariae de civitate Tropeae auditoris sistentis sub gubernio illustris domini Garziae Manriquez de Lara regii armorum capitanei provinciarum Aprutii gubernatoris in loco praedicto pro tribunali sedentis et in quadam sedia lignea pro loco idoneo et sufficienti ad infrascripta omnia et singula conscribenda exequenda specialiter electo et deputato sponte quo supra sindicario et procuratorio nomine et ex certa ejus scentia et non per errorem aliquem non vi dolo metu fraude vel aliqua suasionem circumventus sed sua bona libera gratuita et spontanea voluntate pure

mere libere et simpliciter et irrevocabiliter donavit et donationis titulo irrevocabiliter inter vivos dedit tradidit et cessit et concepit et transtulit et mandavit nobili Iohanni Carolo quondam Pierii de Riveria de civitate Aquilae tamquam procuratori magnifici Domini Ferdinandi Cornesii utilis domini et baronis dictae terrae de Aposta ibidem tunc praesenti et nomine et pro parte. Dicti domini Ferdinandi donatarii ejusque heredum et successorum donationem ipsam et omnia et singula supradicta et infrascripta in praesenti instrumento contenta solemniter et legitime stipulanti et in perpetuum recipienti omnia et singula territoria *praeter tamen pascua* quae reperirentur occupata ac detempta in territorio et pertinentiis universitatis de Apostatam per universitates et homines particulares Civitatis Regalis universitates et homines terrae Leonessae et Villae Albaneti, per Abatiam S. Quirici per universitates et homines Montis Regalis et Villae Fani per universitates et homines terrae Burboni et per quascumque universitates et personas ac homines cujuscumque status gradus et conditionis existant occupantes et supradicta bona detinentes ac etiam quascumque alias possessiones particularium personarum occupatos per quascumque in dicto territorio et infradictum terminum dummodo super dictis rebus territoriis et possessionibus non sit mota lis nec pendeat lis et non sint effectae et effecta lititigiosa et ligiosae et quod dictus Dom. Ferdinandus Baro et donatarius bona supradicta donata et recuperanda et recuperata a quibuscumque occupatoribus et detemptoribus omnibus supradictis expensis et laboribus nec per ipsum nec per ipsius heredes successores et descendentes ullo umquam tempore possint vendi alienari distrahi donari nec per aliquam speciem donationis in aliquem transferri et alienari sed semper et omni tempore dictus baro donatarius ejusque heredes et successores sint veri domini et patroni dictorum bonorum ut supra recuperandorum et consequendorum eius sumptibus et expensis et etiam pacto vallato inter dictum syndicum quo supra sindicario nomine ex una et praedictum Joannem Carolum procuratorem ex altera quod si et casu quo dictus dominus Ferdinandus ejusque descendentes successores et heredes ex quavis causa et occasione perdiderint vel privarentur hujusmodi baronagio et dominio terrae Apostae ut supra bona dicto domino Ferdinando donata et recuperanda et recuperata ipso facto reversa sint et esse debeant universitatis hominum dictae terrae Apostae absque eo quod per dictam universitatem et homines terrae Apostae restituantur sumptus expensae et pecuniae erogatae et erogandae pro recuperatione dictorum bonorum per dictum Dominum Ferdinandum donatarium. Quia sic pactum actum conventum et transactum extitit ex pacto solemni inter supradictos syndicum et procuratorem quibus supra sindicario et procuratorio ibidem tunc praesentes volentes et solemniter ad invicem promittentes ad habendum tenendum utendum colemdum fruttuandum, perpetuoque possidendum et quidquid dicto domino Ferdinando donatario licet ut supra absentis praesente tamen dicto Iohanne Carolo ejus procuratore et pro eo recipiente et me notario perpetuo placuerit faciendum de dictis bonis ut supra donatis cum omnibus et singulis utilitatibus et commoditatibus quae dicta bona ut supra donata habent in se intus se intra se infra se intus se prope se extra se in integrum omnique actioni jure usu utilitate et commoditate sibi et ipsis rebus vel per ipsas res aut ipsis rebus donatis modo aliquo pertinentibus sive spectantibus de jure de facto usu et consuetudine. Quae dicta bona sic ut supra donata dictus donatarius sponte ut supra constituit se nomine dicti donatarii licet ut supra absentis tenere et possidere donec donatarius ipse bonorum praedictorum possessionem exinde acceperit corporalem quam accipiendam auctoritate propria. intrandi capiendi et retinendi absque ipsius donatoris requisitione et alterius judicis curiae sive praetoris licentia auctoritate vel mandato. Deinceps dictus donator ut supra

praedicto domino Ferdinando donatario licet ut supra absentem licentiam omnimodam potestatem plenariam contulit atque dedit et de praemissis dictus donator quo supra nomine per quemdam calamum quem in manu dicti Ioannis Caroli procuratoris supradicti domini Ferdinandi donatarii posuit praesentialiter instituit. Quam quidem donationem promissionem et omnia et singula in praesenti instrumento contenta dictus Ferdinandus Syndicus et donator ut supra syndicio et procuratorio nomine promisit et solemniter convenit supradicto Ferdinando donatario absentem praesente tamen dicto Ioanne Carolo dicti domini Ferdinandi procuratore et me notario stipulante ut supra rata grata et accepta et firma habere tenere observare et inviolabiliter adimplere in nullo contrafacere dicere vel venire per se vel alium seu alios ejus nomine aliqua ratione titulo sive causa jure ingenio facto seu aliquo quaesito colore nec donationem ipsam revocare nec revocari petere vitio alicujus ingratitude verborum injuriosorum dictorum aut in posterum dicendorum ejujvi pretextu et causa quibus praesens donatio dici et alligari possit inofficiosa et inofficose facta nec etiam praetextu et causa cujuscumque injuria tam manualis quam verbalis et tam atrocis quam atrocissimae etiamsi quod absit praedictus dominus donatarius in eundem donatorem et universitatem de Aposta manus suas injecerit violentas, imo voluit dictus donator ut supra quod si haec donatio excederet summam a jure statuta tot intelligantur et sint donationes quot sunt poenae. Item sumptus damna expensae et interesse litis et extra quos quas et quae propterea dictus donatarius fecerit et subministraverit in judicio vel extra integre reficere restituere et resarcire promisit et solemniter convenit absque denuntiatione aliqua et taxatione alicujus judicis Curiae sive praetoris stando proinde soli nudo et simplici verbo dicti donatarii de hujusmodi damnis expensis et interesse sub hypotheca et obligatione bonorum omnium dictae terrae de Aposta mobilium et stabilium praesentium et futurorum nec non sub poena et ad poenam unciarum auri quinquaginta. Cujus quidem poenae medietas promissa et stipulata fuit per eundem Ferrantem donatorem ut supra Regiae Curiae et cuilibet alteri Curiae competenti et mihi praedicto notario uti personae publicae pro ea et curia cui competierit solemniter et legitime stipulanti et recipienti alia vero ejusdem poenae medietas promissa et stipulata fuit per eundem Ferrantem donatorem supradicto donatario licet ut supra absentem tamen supradicto Ioanne Carolo procuratore et me notario uti personae publicae pro dicto Ferranto donatario absente ejusque heredibus et successoribus stipulantibus et recipientibus. Quae quidem poena toties exigatur et exigi possit quotiens in aliquo praemissorum fuerit contrafactum sive ventum et ea poena soluta vel gratiose remissa praesenti nihilominus instrumento et contenta in eo in sui semper firmitate perdurent cum eadem adjectione poenae. Renuntians propterea dominus donator supradicto donatario licet absentem exceptioni rei non sic gestae vel aliter seu quovis alio modo gestae quo in praesenti continetur instrumento exceptioni plus dictum et minus scriptum et e contra. L. <sup>i</sup> si quis cum aliquo de verborum obligatione exceptione doli mali vis metus in factum actioni conditioni sive causa et quod metus causa. L. i insinuationis L. i Siquis argentum: C. de don: L. i si umq: L. i finali Capituli de revocatione donationis et tot intelligantur quot sint summae excedentes insinuationis requisita beneficio Velle: Cen: Cons: Epistolae divi Adriani beneficio restitutionis in integrum ac juri longobardorum usui et consuetudini et generalitati omni alio jure et ll: aux.o tam tacito quam expresso et tam canonico quam civili dicto donatori in hac parte quomodolibet faventi et specialiter illi dicenti gneralem renuntiationem non valere et in contractibus apponi non debere et appositam non valere, nisi processerint causae specialiter et expresse et ad majorem cautelam et observantiam praedictorum praedictus donator



sponte juravit ad Sancta Dei Evangelia manibus ejus propriis corporaliter tactis scripturis praedicta omnia et singula attendere et inviolabiliter observare dicto domino Ferranti donatario licet ut supra absenti dicto domino Ioanne Carolo procuratore praedicto domino Cola Maria Auditore et Iudice ordinario pro tribunali sedenti ad bancum juris reddendo jus unicuique et justitiam ministrando electo et deputato me notario Ioanne Chrysostomo ad hanc donationem et insinuationem pro speciali notario et actuario adhibito. Supradictis iudice Notario et testibus vocatis et rogatis ut supra praedictis die anno mense et loco et exposuit dicens quod cum sit facta supradicta donatio quae excedit summam docatorum quingentorum de auro quam petit a dicto domino auditore pro tribunali sedente ut supra et Curia Regiae Audientiae ejus officium implorando super hoc quod ipsam donationem faceret insinuari per me supradictum Ioannem Chrisostomum in actis Curiae et postquam fuerit insinuata redigatur per me Notarium Ioannem Chrysostomum ad cautelam supra dicti domini Ferdinandi Cornesii Baronis dictae terrae de Aposta et de ea debere confici publicum instrumentum. Qui supra dictus dominus Auditor super praedictis decretum interposuit tenoris et continentiae sequentis. Qua re nos qui supra Cola Maria Auditor Regiae Aprutinae Audientiae, et Iudex ordinarius annuentes petitioni dicti Ioannis Caroli procuratoris dicti domini Ferdinandi donatarii fecimus donationem ipsam coram nobis factam insinuari per supradictum Ioannem Chrysostomum pro actorum Magistro ad hunc actum specialiter assumptum et lectum in publicam formam ad quam insinuationem nos qui Cola Maria Auditor praedictus auctoritatem nostram judicariam interposuimus pariter et decretum de qua supradicta donatione et insinuatione et omnibus et singulis in praesenti instrumento contentis supradictus Ioannes Carolus procurator rogavit nos supradictum iudicem notarium et testes qualiter conficere deberemus publicum instrumentum ad cautelam dicti Domini Ferdinandi Cornesi donatarii ejusque heredum et successorum, unde ad futuram rei memoriam et huius rei certitudinem et cautelam dicti domini Ferdinandi donatarii ejus heredum et successorum ac omnium et singulorum aliorum quorum et cuius heredum et successorum ut supra et singulorum aliorum quorum et cuius intererit et interesse poterit quomodolibet in futurum praesens publicum instrumentum exinde factum est et publicatum per manus mei Notarii Ioannis Chrysostomi supradicti nostrorum supradictorum quorum supra iudicis notarii ac testium subscriptorum signo et subscriptionibus roboratum. Quod scripsi et publicavi ego qui supra Notarius Ioannes Chrysostomus supradictus quia de praedictis omnibus et singulis rogatus interfui ipsumque in hanc publicam formam redigens meo solito signo signavi. Super vero a capite numerando in vigesima secunda linea reperitur abrasum et huiusmodi in vigesima tertia linea ubi incipit et alienationis et in linea sexagesima ubi incipit ad bancum quod non vitio sed errore ut plurimum evenire solet processit ideo signum meum consuetum apposui et volui mentionem facere ut nullo umquam tempore dolus seu fraus aliqua considerari possit.

Locus signi.

Ego Ioannes Baptista Philaurus qui supra Iudex me subscripsi.

Ego Jeronimus Accursius qui supra testis me subscripsi.

Facta collatione cum suo proprio originali conservato in Archivio scripturarum Universitatis terrae Lapostae concordat facta collatione meliori semper salva et in fidem.

Ego Fabritius Cherubinus de terra Lapostae notarius regius et cancellarius universitatis terrae praedictae hic me subscripsi et signavi etc.

Signum mei notarii praedicti. etc.

Vi è il tabellionato.

Collaglia di Crescenzo.

In fine del predetto volume col titolo Posta e Vallemare, e propriamente al foglio 162 leggesi quanto segue:

Priores et regimen terrae Postae.

Solet ut plurimum de fide et legalitate notariorum propter locorum distantiam dubitari. Et ideo Fabritium Cherubinum concivem nostrum qui in praesenti libro complures fides authenticas inscripsit et fecit, fidum legalem regium et authenticum esse notarium et suis publicis scripturis ubique judicialiter et extra plenam fidem adhiberi praesentium tenore testamur.

Nos qui supra priores et in fidem etc.

Datum Lapostae die XXII mensis decembris anni 1621. Cherubinus pro Cancellario de mandato etc.

Collazionata e registrata al N. 1177

Per l'Archivista Nicola Barone

Visto il soprintendente Raffaele Batti